

Schreibende Fürsten? quando constituti Duces Circulorum? Et priores quidem quod attinet, constat nobis ex Actis Imperii atque Circulorum publicis, extitisse quidem mox ab origine Circulorum singulares Personas, quæ, quæ jam des *Grays-ausschreib-Amts* propria esse reputantur, electione, (1) vel expressâ, sive Imperii, sive Statuum Circuli conventionem nullâ præviâ, sponte in se susceperunt, id quod tamen ita constanter observatum non fuit, quin, prout id commodum necessariumve huic vel illi videbatur, modò hi, modò alii, modò unus, modò duo pluresve, instantibus præsertim Imperii Comitibus Circulum convocarent, donec tandem observantiâ diuturnâ (2) id Sibi potentiorum quidam præscripserunt. Dum verò observantiâ ortum firmatumque esse hoc Officium modò diximus, facile patet, certum quoddam temporis spatium paucis annis circumscriptum definirî haud posse, intrâ quod PRÆCISE hoc Officium ad præsentem die *Grays-ausschreibende Fürsten* devenerit, præprimis, cum diversæ fuerint Circulorum observantiæ, (3) alibique citius, seriusque alibi modernos die *Grays-ausschreibende Fürsten* id ad se pertraxisse nemini sit ignotum. Non tamen erraturos nos esse confidimus, si quidem terminos, quo perpetuum esse cœperit hoc Officium, IN GENERE circa confinia Regiminis Imperatorum Maximiliani I. Carolique Quinti collocemus, eum plerisque in Circulis eisdem, qui id munus nostris Sibi vindicant temporibus, Circularium rerum moderatores jam tum liceat offendere. (4)

(1) Patet ex adductis, quod pace Favitoris nostri maximi monere liceat, subsistere non posse, quæ de Origine det *Grays-ausschreibenden Fürsten* tradit Dn. PFEFFINGER in *Commentar. ad Vitriar. Tom. II. Lib. II. Tit. 6. §. 11. not. (a) p. m. 1085.* atque allegatum Imperii Recessum Augustanum non von den *Grays-ausschreibenden Fürsten* sed de Ducibus Circuli esse capiendum, quos inter maximum esse discrimen *ad l. c. §. 12. not. (c) p. m. 1094.* agnoscit ipse Vir eruditissimus. Hinc emendandus quoque PETRUS MULLERUS, qui in *Tr. de Conventib. Circular.*